



Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskernes Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

Indbydelseskrift

til

Den offentlige Examen

i

Nykjøbing Cathedralsskole

1845

ved

E. P. Rosendahl,

Rector.

Nykjøbing.

Trykt i W. Laubs Enkes Officin.

**In gravissimis rebus et vel in bello plurimum
valere non fortitudinem modo et constan-
tiam, verum et modestiam et temperantiam
et honestatem, ex Aristidis exemplo,
breviter monebat autor.**

Quo sapius accidit, adolescentes, ut vel ab ingeniosissimis hominibus mire peccetur, modo in se, modo in aliis judicandis, jam in vitiis, jam in virtutibus recte æstimandis, nunc in belli, nunc in pacis artibus suo justoque statuendo pretio; quo frequentius regnare in hominibus videmus inscitiam, ambitionem, arrogantiam, libidinem, avaritiam, invidiam, contra contemni moderationem, posthaberi honestatem, sordescere continentiam, jacere imo rideri modestiam, quin ipsam adeo illudi pietatem: eo attentius cavendum est, ne in imitationem abripiamur vulgi, ne temerariis, quæ passim afferuntur, de vero bono, de vera gloria, de vera meritorum natura, sentiis, capiamur, ne magnificis at fallacibus, his de rebus, scriptis ac sermonibus, quæ imperitis nec satis adhucdum firmatis fraudem faciunt, deceptosque in maximos errores inducunt, corrumpi nos patiamur; eo enixius laborandum, ut nostri mature simus consilii, ut ei unice operam demus, eam unice sectemur animi firmitudinem, quæ nemini se emancipet, quæ æternis modo nitatur et immutatis virtutis legibus, quam nec falsus honos nec falsa infamia terreat, nec timor nec minæ convellant, nec motus quilibet animorum a ratione aversi labefactare valeant.

Nam ut diversis temporibus diversi serpunt cor-

poris, sic et animi morbi, diversa vitia, cupiditates pravæ, pravaque non communi utilitati et commodo, sed præjudicatis plerumque opinionibus inservientia studia et conamina, quibus fortiter resistendum, contra quæ, sicut contra cetera et animi et corporis mala, totis viribus, quocunque tempore est pugnandum.

Quæ quum ita sint, et vos, juvenes carissimi! quibus ætas vestra maxime obnoxia esse putatur vitia, operam sedulo et religiose date ut effugiatis.

Sunt vero illa non juvenilis modo levitatis illecebæ et ferocientium libidinum lenocinia, verum et hoc potissimum tempore, periculosum valde, quod late vagatur, rerum omnium innovandarum studium, immodesta quædam de omnibus judicandi, omnia cavillandi licentia, confidens nimis earum agendarum rerum temeritas, quæ nec juvenilis intelligentiæ, nec tantularum virium sint, licet vel suavissime intempestivæ adolescentium audaciæ blandiatur, et talium facillime occupet animos, qui auram modo captant frivolum, securi ceterum, quem eventum habitura sint, quæ inscite et stolide machinentur.

Sed, ut ait Cicero, quod exemplo fit id jure fieri putamus, et nullum, canit Horatius, magis exemplum decipere, quam quod vitii sit imitabile, addam, quod laudibus celebretur multitudinis. Cavete igitur et expectate, dum mens simul et ætas vestra adoleverit. Nolite unquam committere, ut res novas moliri videamini, ut dicta factaque probare, laudare atque adeo imitari audeatis, quæ subtilioris scientiæ et altioris sint subsellii. Cogitate usque, quam indignum dictu sit: „labefactas et turbatas res, (nostis verba Nævii) quia proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli.“

Verum mementote simul, nihil exulto homini honorificentius, nihil præclarius, quam res quascunque optimas tueri, firmare et stabilire, libertatem adserere, concordiam munire, suam virtuti laudem, suum meritis honorem, suam imperiis majestatem, suam divinis humanisque legibus auctoritatem vindicare, servare et augere. Hoc itaque per totam vitam serio spectate, hoc sedulo agite, hoc opus, hic labor, hic optimus disciplinæ et eruditionis fructus esto!

Quod ut vobis contingat, adeatis semper non eos, in quibus satis est loquentiæ sapientiæ parum, sed cordatissimos et veri nominis philosophos; audiat is qui et sunt, et a prudentissimo quoque existimantur, honestissimi consultissimique, viros; imbibatis instar omnium, animisque inculcatis, quam divinitus accepimus, religionis christianæ, de verecundia, amore et obsequio, præcepta, nec ulla undeque negligatis rei gravissimæ ac saluberrimæ præsidia.

Itaque, quæ disciplina merito lux veritatis et testis temporum dicitur, eadem magistra vitæ morumque emendatrice utamini, et vel ex unius justissimi modestissimi-que viri exemplo discite: quantum sit in futili jactatione, in arrogantiâ superbiente, leve et inane, contra quantum in sapiente moderatione, in reverentia legibus habita, in obsequio imperantibus servato, in sincero denique patriæ amore, non in verbis illo sed in factis posito, salutare vereque laudabile, quod non ad unum modo ævum pertineat sed ad longam usque posteritatem fructus ferat uberrimos atque utilissimos.

Et nobis adeo paucula quædam de moderatione Aristidis commentaturis patientes commodate aures!

Seqvar potissimum in his biographum Aristidis, locupletissimum et consiliorum eius et rerum gestarum testem, Plutarchum, qui ut copiose docuit Heeren V. C.¹⁾, non optimæ solum notæ historicos et monumenta, quæ tum adhuc exstabant, publica consuluit, verum nec philosophos, nec poetas, qui has res alicubi attigerant, neglexit. „Quum enim hoc sibi maxime propositum haberet, ut mores hominum depingeret, eos quoque scriptores imprimis inspicere debuit, qui exempla, quibus illi declarabantur, collegerant.” Ad- dam vero et ex aliis, si quæ rei tractandæ lucis ali- quid affundere posse videbuntur.

Quod igitur Plutarchus ille²⁾ de Aristide habet: indolem ei fuisse immutata honestate nixam et justi- tiam unice spectantem — et statuisse eum, bonum ci- vem sola honestate et justitia in dictis factisque confi- dere debere, — id eum constanter et ad extremum usque tenuisse, eoque quum de Athenis, tum de universa Græcia præclare meruisse, facta jam, spero, [ipsa lo- quentur.

Quod ab ineunte ætate virtuti se uni addixerat, eamque solam vitæ sibi ducem elegerat ac generosiores, quos homini cuivis deus indidit, sensus fovendo exco- luerat, — et quod philosophiam tam cogitandi judi- candique magistram, quam consiliorum vitæque normam, rerum secundarum ornatricem, consolatricem adversa-

¹⁾ De fontibus et autoritate Vitarum Parallelarum Plutarchi. Götting. MDCCCXX. pag. 31 cetq.

²⁾ Plut. Vit. Arist. ed. Hutten. pag. 341. Φύσιν ἰδρυμένην ἐν ἡθελ βεβαίω καὶ πρὸς τὸ δίκαιον ἀτενῆ. et infra: μόνα τῶ χρηστῷ καὶ δίκαια πράττειν καὶ λέγειν ἀξίων θαρσύνει τὸν ἀγαθὸν πολίτην.

rum adhibuit, inde patet, quod quum pauca essent, ut ait Nepos¹⁾, eius in re militari facta illustria, justitiæ et æqvitatís et innocentiaë essent multa. Quum ad sodalium libitum peccare nollet²⁾, quumqve pecuniæ et quæ liberalior videtur³⁾, honoris et imperii cupiditati, durissimæ et vehementissimæ aliorum hominum dominaë, fortiter semper restitisset, eam assecutus erat animi constantiam, quæ nec fallaciis vinci, nec periculis flecti posset, nec a via facile aberraret recta. Ideoque et veritatis adeo amans et tenax erat, ut ne joco quidem mentiretur⁴⁾. Ideo, manant enim omnes ex eodem fonte virtutes, mansveto erat ingenio et probis moribus, neque in republica gerenda gratiæ populi quidquam dabat, sed omnia ad honestatem, justitiam et communem utilitatem referebat⁵⁾. Non amori autem solum et gratiæ, verum et odio pro justitia constanter repugnabat⁶⁾.

Vultis exempla? Subgessit idem Plutarchus.

Ita quum aliquando inimicum quendam in judicio persequeretur, negantibus post accusationem iudicibus, se reum andire velle, surrexit ipse atque una cum illo supplicavit, ut audiretur, et ex lege cum eo ageretur.

Alio tempore quum iudex inter duos cives sederet, et alter, quo Aristidem sibi redderet propitium, diceret: adversarium ei multas injurias obtrudisse.

1) Vit. Arist. Cap. 2. Quam sæpius citavi interpretationem Plutarchi latinam, Basileæ edidit Hermannus Crusenius MDCLXXIII.

2) Plut. Vit. Arist. Cap. 3.

3) Cic. Parad. V. 2. 11.

4) Plut. Vit. Arist. Cap. 2.

5) Plut. Vit. Themist. Cap. 3.

6) Plut. Vit. Arist. Cap. 4.

Leniter noster respondit: Heus bone, dic potius, si quid in te admisit, tibi enim nunc non mihi iudex sum.

Sed qui a se impetrare non potuit, intelligens nempe, jus justitiamque sanctissima esse civitatis vincula, ut justitia ullo modo aut quacunque in re violaretur, eadem quoque fide et religione usus est, in vectigalibus publicis administrandis. Quare, quum quaestor creatus expilatores aëriarii multos detexisset, quos peculatus reos agere vellet, acerbè conquestus, eos in commodum publicum gravissime peccare; conjuratione isti infita, calumniis et malis artibus eo rem adegerunt, ut ipse, homo continentissimus, mulcta a populo adficeretur. Id vero principes civitatis et optimus quisque adeo indignabantur, ut non modo aestimatione liberatus sit litis, verum quaestor denuo creatus. At ille, inmutato consilio, et prioris se severitatis poenitere simulans, leniorem jam se præbuit exactorem, et connivendo peculatorumque avaritiæ indulgendo, mox adeo eosdem accusatores ita sibi devinxit, ut, satiati lucro laudibus eum tollerent, populumque etiam pressarent, ut in tertium quoque annum quaestor crearetur. Quod etiam cunctis acclamantibus factum est. Tum Aristides ita indignabundus populo: Me quidem, inquit, magis pudet huius laudis, quam damnationis prioris; vestri vero me miseret, apud quos honorificentius est, morem gerere improbis, quam publica tueri comoda. Ita fatus, ubi furta patefecit, applaudentes sibi et commendantes obmutescere coegit, verum autem et meritum ab honestissimo quoque tulit præconium¹⁾.

Sed illa lætatio non diutina fuit. Æqualis enim

¹⁾ Plut. Vit. Arist. Cap. 4.

erat Themistoclis, quem gloriæ cupiditate flagrantem et rerum novarum studiosissimum, æmulum nactus, isti duo, tam diversis moribus et consiliis, quum alter, imperii potiundi ^{cau} ~~con~~sa, plebi semper blandiretur, alter leges, quibus contineretur civitas, servaturus, a partibus optimatum staret, de principatu necesse est contenderent et inter se obtrecentur¹).

Verum in continua hac, æmulatione dicam an obtrecentatione, idem mansit Aristides, nec patriæ unquam commodum privato odio apud se præponderari passus est. Nam licet Themistoclem reprimere, impotentiaque eius ubique reluctari conaretur, non tamen commisit, ut aliquid inde detrimenti caperet respublica. Quare quum rogationem minus salutarem aliquando tulisset, illaque et a Themistocle et ab aliis impugnaretur, ipse vero in eo esset, ut post concertationem superior abiret, jam animadverso ex orationibus habitis vitio suo, rogationem statim abiecit. Et quamvis in minoris momenti rebus æmulo, cujus gliscentem semper timebat potentiam, et bona subinde svadenti adversaretur, sæpius idem leges civitati utilissimas, gloriæ suæ negligens, per alios ferri curavit, ne invidia compulsus oblectaretur Themistocles adeoque saluti civium obsesset. Et quum Themistocles die quodam aliquid recte atque ordine cum populo egisset, eique adversatus victoriam reportasset Aristides, e concione digrediens ingenue palam professus est: non posse rempublicam Atheniensium consistere, nisi ipso simul et Themistocle in bazarum conjectis²).

¹) Nepos Vit. Arist. Cap. 1.

²) Plut. Vit. Arist. Cap. 3.

Vicit tamen in hac contentione ad postremum Themistocles, et, quæ eius erat calliditas, audacia et eloquentia, populo mutabili facile persvasit, ut ostracismo illo Aristidem ex urbe eijceret. Quod leniter ille, ut omnia, tulit, urbeque excedens, coelo supinas tendisse manus fertur, deos suppliciter rogans: ne unquam populo incideret tempus, quo sui reminisci, sequæ adeo desiderare, adigeretur civitas.

Hæc habetis honestatis eius temperantiæque domi et in pace exempla; at multo adhuc clarius illa non ita multo post in bello exsplendescabant.

Quum enim ex incendio Sardis, qua occasione rebellantibus Ionix incolis Athenienses mari terraque auxilium tulerant, bellum Persicum aliquot abhinc annis exarsisset, Aristides quamvis a civibus relegatus, nec sui, nec officii ingratae patriæ debiti, unquam oblitus est. Qua enim primum licuit, domum recurrit, opemque suis saluberrimam ubique præstitit, non fortitudine modo et constantia, verum modestia imprimis, sapientia et moderatione.

Jam antea initio sævissimi istius belli illis virtutibus inclaruerat, postquam nempe a Dario rege, ad sumendam ab Atheniensibus poenam, quod Græcis Asiaticis opitulati erant, Datis missus cum universa classe et multis copiis ad Marathonem appulit et agros Atticos vastavit, ipsi urbi interitum minans. Illi enim periculo quam maturissime occurrendum fuit Atheniensibus, arma paranda, duces eligendi, mittendus exercitus, et tanto enixius celeriusque hæc omnia administranda, quia nulla civitas præter Plataensium, ipsis tum auxilio erat¹⁾. Decem itaque prætores designati

¹⁾ Nepos. Vit. Miltiad. Cap. 5.

sunt, quorum maximæ opinionis et autoritatis erat Miltiades, dignitate vero et potentia Aristides secundus. Qui sententiam Miltiadis, de educendo exercitu et pugnae instituendæ ratione, comprobando atque argumentis suis juvando, non parum et ei et rebus dubiis profuit. Quumque ad singulos vicissim prætores, singulis diebus summa potestas circumferretur, ubi ad ipsum redire vices, Miltiadi cedens ei imperium detulit, collegas adeo docens, non indecorum esse audire et sequi prudentiorem, sed honorificum magis ac salutare. Ita, compressa æmulatione, hortatus eos, ut uno in consilio Miltiadis peritissimi acquiescerent eoque constanter uterentur ¹⁾, imperatorem ipsum confirmavit et auxit, concordiaque acutis in rebus maxime necessariæ salubriter prospexit; generosæ enim modestiæ exemplum secuti, imperium Miltiadi ceteri quoque suis diebus concesserunt; quod sapientissimum factum, ubi ad rem ventum est, successu non caruit. Sed laus omnis sine dubio Aristidi autori debetur.

Quare excusandum prope fuisset, si postea, quum ^{ex pulchro} a civibus, qui tantam sibi arrogantiam, tantos sibi spiritus ab inelytissima illa victoria sumserant, quam tamen magna ex parte insigni eius, et ante commissum certamen, et in ipso proelio, opera reportaverant, — excusandum, dico, fuisset, si Aristides, conscientia fretus et meritorum sibi conscius, non superbienti modo Themistocli, verum et populo, multorum capitum beluæ, elato, vario, ingrato, mala omnia esset imprecatus, aut saltem valere eum in perpetuum et malis suis consultoribus frui jussisset. Sed quid ille?

¹⁾ Plut. Vit. Arist. Cap. 5.

In exilium indignum tendens, fausta quævis civitati vovet. Et tantum abfuit, ut ullam foveret ignominiae atque injuriae illatae memoriam, ut vili levium abjectorumque hominum metu et suspicione major, in ipso exilio non destitueret¹⁾ Græcos omni modo ad libertatem tuendam hortari, et tertio, postquam expulsus fuerat, anno, quum ad cladem Marathoniam ulciscendam Xerxes redierat, publice revocatus, Themistocli adversario, tunc summa cum potestate duci, ubique consilio et opera adesset, atque hominem, huc usque inimicissimum, salutis publicae causa, longe efficeret clarissimum.

En illa illa, quam frustra toties in hominibus quærimus magnitudo animi, en vera patriae caritas, en obsequium divinis humanisque legibus tributum!

Quum enim, sive Pythia sive Themistocles, Græcis, de patria adversus innumeras Persarum copias defendenda consultantibus, persvasisset, ut ligneis se muris defenderent²⁾ et Themistocles, commissa ad Artimissium pugna, metuens ne multitudo hostilium navium circumiretur, classem in freto ad Salamina, ex adversum Athenas, statuisset; tantus subito terror de expugnatis a Xerxe Thermopylis, incensis Athenis et propinquitate myriadam hostis, classarios Græcos invaserat, ut plurimi hortarentur ne diutius manerent, sed quam primum domos suas discedentes, sibi quique consulerent, moenibusque defenderent; Resistit tam præcipiti consilio Themistocles, sed nequidquam continuo testabatur³⁾, universos esse pares, dispersos certo

¹⁾ Plut. Vit. Arist. Cap. 8.

²⁾ Nepos. Vit. Them. Cap. 4.

³⁾ Nepos. Vit. Them. Cap. 4.

perituros. Postquam itaque et Eurybiades, Lacedæmoniorum rex, qui tum summæ imperii præerat, Salamina deserere et domum redire constituit; Aristides rem esse in angusto cernens, Ægina, ubi tum commorabatur, relicta, consensu navigio, noctu, cum summo vitæ periculo, per mediam Persarum classem, transvectus, recta ad tabernaculum Themistoclis contendit, quem solum [evocat]um ita compellat: Jam, si sapiamus, Themistocle, frivola priore et puerili similitudine deposita, honorificum ineamus ac salutare certamen, et Græciam servare contendamus, tu imperator et dux, opera et consilio ego, quando te unum saluberrima consilia amplecti audio, jubentem nos quam primum in angustiis pugnare. Licet enim adversentur tibi socii, ipsi hostes opitulari videntur, nam mare navibus eorum undequaque constrictum est, ut acerrime certare vel invitos necessitas cogat, quum nulla relicta sit elabendi via ¹⁾).

Quid ad hanc moderationem et generositatem addi potest? Quid amplius vel ab amicissimo Themistocles exspectare debuit? Obtreccionis veteris immemor, nocturnæ navigationis pericula spernit, ultro adversarium adit, imperio eius se subjicit, amicitiam cum eo jungit, reluctantibus ceteris, consilia eius probat, et dubitantem forsitan nuncio allato confirmat. Facta hæc sunt non verba speciosa!

Nec spes eum defellit, sed nobilissimam ut de se sic de inimico pristino victoriam consecutus, firmam ambo ad patriam servandam junxerunt societatem, quam statim Aristides, præclare ad Psytaliam insulam factis, insigniter illustravit.

¹⁾ Plut. Vit. Arist. cap. 8.

Notissima res est de victoria illa Salamina et fugæ simili Xerxis in Asiam discessu. Sed reliquerat in Græcia Mardonium, fortissimum virum, eum delectis copiis ad trecenta ferme milia. Is multitudine militum fretus et a septentrionalis Græciæ incolis, quos sibi habuit dediticios, sustentatus, minaces ad ceteros Græcos misit literas, ne victoria illa navali nimis gloriarentur, spatiosam sibi adhuc esse Thessaliæ regionem, et campos Boeotiæ equestrati numero egregioque peditati ad decertandum aptissimos¹⁾. Ad Athenienses vero privatim misit: Regem ipsis polliceri, si se recepissent, deletam eis urbem instauraturum et, magna insuper pecunia data, imperium Græciæ traditurum²⁾.

Quod ubi acceperant Lacedemonii, legatos perterriti Athenas miserunt, rogantes a populo Atheniensi, ut conjuges et liberos suos Spartam mitterent, senibus illorum se victum suppeditaturos, siquidem gravissima premebat inopia populum et agris et urbe exutum.

At Aristides, cui immota mens, sed aucta ipso periculo videbatur constantia, his spretis promissis, Mardonii legatis, sole monstrato, ita respondit: quamdiu hic cursum illum tenebit, populus Atheniensis ob vastatos fines, ob profanata et incensa templa Per-

1) Brøndsted's Reiser i Grækenland i Aarene 1811—13. Vol. 2 pag. 4—5. Voyage du jeune Anacharsis. T. 1. pag. 239.

Wachsmuth, hellenische Alterthumskunde, 2 Ausg. 1 H. pag. 22—23.

2) Ita Plutarchus. Sed Diodorus modo: civitatem suis legibus institutisque uti permissurum et agrum quemcumque in Græcia daturum: *δώσειν χώραν ἣν ἀν βούλωνται, καὶ τῆν πόλιν ἑάσειν αὐτόνομον.*

sas bello persequetur¹⁾. Et legatis Lacedæmoniorum magnificentius adhuc hæc: Ignoscere se hostibus, quod divitiis et pecunia, quibus nihil nossent præstantius, omnia ducerent venalia; Lacedæmoniis vero succensere, qui præsentem modo populi Atheniensis inopiam et paupertatem spectarent, virtutis vero et magnanimitatis non meminissent, excitantes eum ad dimicandum pro Græcia alimentorum mercede. Et deductis in concionem legatis, jussit ut domum renunciarent: Non esse tantum auri pondo nec super nec sub terra, quo Athenienses libertatem Græciæ unquam venderent.

Dignum sane Aristide responsum.

Et ut verba æqvaret factis, Aristides ab Atheniensibus dux belli renunciatus est. Moxque constantiæ et honestatis nova documenta edidit.

Lacedæmonii enim iidem, qui nuper formidantes et supplices ab Atheniensibus petiverant, ne communem causam desererent, nunc, quum in confesso esset, Athenienses nullo pretio libertatem Græciæ prodere velle, cunetanter adeo auxilia miserunt, ut sibi modo solliciti, Athenienses solos imminenti periculo obiecturi viderentur. At prudentia Aristidis et increpatione Chilai Tegeatæ²⁾ factum est, ut exercitum tandem educere cogeretur Pausanias, qui tum per Peloponnesum in Boeotiam profectus, suas ibi cum Ari-

¹⁾ Plut. Arist. Cap. 10. Paulo aliter Herod.

Wachsmuth Hellenische Alterthumskunde. S. 2. pag. 206.

Als höchster Glanzpunkt hellenischer Vaterlandsliebe strahlt die hochherrliche Erklärung der Athener, im Winter vor der Schlacht bei Plataa, an den vielberühmten Mardonius und das ängstlich sorgende Sparta. Aristides faßte sie ab.

Herod. Lib. 8. Cap. 143 -144. fusius res traditur.

²⁾ Herod. IX.—9.

stidis et ceterorum, qui aderant, Græcorum copiis conjungeret ¹⁾. Numero longe inferiores erant Græci, triginta enim milia gravis armaturæ et levis armaturæ sexaginta milia militum, adversus trecenta ferme milia Persarum ducebant. — Quare locus pugnæ idoneus caute circumspectendus erat, præsertim quum equitatu, quo abundabant hostes, destituti, quicquid poterant copiis valerent pedestribus. Itaque pollicente oraculo, (num Aristide inscio?) ut victoriam adipiscerentur si se modo defenderent, non si invaderent priores, radix Citheronis montis, ceu locus declivis, rupibus impeditus, virgultis passim occupatus et ab utroque latere adversus casus subitos tectus ²⁾, quo castra munirent et proelium committerent Græci, ab Aristide et Pausania delecta est, et tanto prudentius quod ab ipsis diis videbatur monstrata.

Hic Pausanias, summæ rerum præfectus, copias generatim constituit, et pro more solito in cornu dextro Lacedæmonios, in sinistro Athenienses. Tegeatæ vero de loco in acie cum Atheniensibus ambigentes, postularunt hoc sibi tribui debere, et majores suos summis laudibus extulerunt. Quod Athenienses valde indignabantur. Ut periculum sane fuisset, ne dissidium, quum maxime esset vitandum, inter ipsos Græcos oriretur, nisi iterum vicisset moderatio Aristidis, qui in medium procedens publice professus est ³⁾ Ut de claritudine et virtute certemus, hoc præsens tempus non permittit, coram vobis, Spartiatæ, ceterisque

¹⁾ Diod. Sic. Bibl. Hist. Lib. XI. Cap. 29.

²⁾ Diod. Lib. cit. Cap. 30. ἦν γὰρ ἐκ μὲν τῶν δεξιῶν γεώλοφος ὑψηλός, ἐκ δὲ τῶν ἐυωνύμων ὁ Ἀσωπὸς ποταμός.

³⁾ Plut. Vit. Arist. 12.

quotquot adestis Græcis pronuncio, loco in acie neque adimi neque conferri virtutem: quem vos nobis ordinem assignabitis, eum dabimus operam ut ornemus ac tueamur, nec priores nostras victorias dedecoremus. Advenimus enim non ut cum sociis certemus, verum ut cum hostibus contendamus, non ut patres nostros laudibus feramus, sed quo nosmetipsos Græciæ viros præstemus fortes, quando hoc ipsum proelium declarabit, quanti quæque civitas, quisque dux et privatus Græcis sit æstimandus¹⁾).

Quibus auditis, et concio et duces collaudatis Atheniensibus alterum cornu attribuerunt.

Interea aliud malum, idque in præsentī non minus timendum, in ipsis Atheniensium castris clam gliscebatur, conjuratio nempe procerum quorundam, qui, infestis temporibus, urbe bis cremata, vastatis agris, bonis omnibus amissis, graviter dolebant se ad ultimam egestatem redactos, et de loco, quem antea in civitate tenuissent, dejectos esse; quare consilia nunc agitabant de pristina dignitate quoecunque modo recuperanda, de infringendis populi et novorum hominum opibus, aut, si hoc minus succederet, de evertendo imperio et Persis tradendo.

Sed et hoc mens provida Aristidis cavebat, ne latius serperet, concordiamque, quum unitis viribus vel maxime opus esset, omnino dissolveret. Quamvis enim non ignoraret, quæstionem ad multos pertinere, octo modo conjuratorum corripit jussit; quorum quum duo et maxime quidem sontes noctu clam aufugissent,

¹⁾ Herod. Rem aliter paulo Herodotus exponit, nec Aristidem nominatim commemorat.

ceteros impunitos dimisit, ut iis, nondum quid de crimine suo comperit opinantibus, resipiendi ac poenitendi locum daret. Sicque omnes, quod speraverat, in officio retinuit.

Interim Mardonius ab incendio Athenarum¹⁾ reversus, copias suas in aperta planicie, equitatu numero aptissima, secundum Asopum flumen, e regione castrorum Græcorum, locaverat; ab illo enim flumine ad radicem Citheronis montis porrecti campi pertinebant. Impedimenta vero et sarcinas et tabernacula longe pretiosissima, ab altera parte fluminis, post exercitum, in unum locum contulerat, quem muro amplissimo fossaque muniverat.

His administratis, quo Græcos periclitaretur, confertam equitum phalangem in eos immisit. Defendebat autem ceteros opportunitas loci, præter Megarenses, qui paulo infra montem in regione planiore insederant; quare, quum advolante equitatu Persico, graviter undique premerentur, nec hostibus circumfusi, telis obruti, ullam, nisi in celeri auxilio, salutis spem cernerent, opem a Pausania petebant.

Ille vero, quum gravis armaturæ Lacedæmonios subsidio mittere non auderet, aliis, qui aderant, duibus virtutis et gloriæ laudem proposuit, si qui ultro susceperent proludere et opem Megarensibus ferre. Itaque, ceteris cunctantibus, Aristides solus, tam necessario tempore, intelligens nempe, quanti futurus

¹⁾ Diod. Sic. Hist. Bib. Lib. XI. Cap. 28. *Μαρδόνιος χαλεπῶς ἔχων πρὸς αὐτούς, τὴν χώραν ἅπασαν κατέφθειρε, καὶ τὴν πόλιν παντελῶς κατέσκαψε.*

Herod. Lib. IX. Cap. 15.

sit momenti primæ congressionis eventus, negotium suscipit.

Persas ductabat Masistius, vir et autoritate et fortitudine post Mardonium secundus, qui Athenienses subsidio accurrentes conspicatus, subito equum vertit et in eos impetum fecit. Acerrime utrimque pugnatum est. Sed quum Masistius equo vulnerato excussus et interfectus esset, barbari, ut vulgo fit, duce interempto, perturbati et quem sequerentur, et quam rationem pugnæ insisterent, nescientes, fugam ac vastitatem late fecerunt; auctum vero Græcis ex hoc initio et robur et confidentia animi ¹⁾).

Post equestre proelium utraque pars pugna se aliquamdiu abstinuit ²⁾). Tandem Mardonius, quod Græcos in planiciem elicere non potuit, ac quum deficientem immensæ suorum multitudini commeatum, tum auctum in dies propugnantium Græcorum numerum metuens, et de gloria sua, nisi et forte de vita, et magnifica promissa atrocesque minæ quorsum evaderent, sollicitus, Asopum primo diluculo transire, ac Græcos nihil opinantes adoriri statuit. Quod quum suis edixisset, clam noctu indicium rei ad Aristidem detulit Alexander, Macedonum rex, etiam atque etiam rogans, ut nec tanti sui beneficii oblivisceretur, nec alii cuiquam propositum Mardonii detegeret ³⁾).

¹⁾ Diod. *ἐύελπίδες ἐγένοντο περὶ τῆς ὀλοσχεροῦς νίκης.*
Herod. Lib. IX. Cap. 25.

²⁾ Ita Plutarchus.

Persarum equites Asopum, qui eos a Græcis divisit, sapius transiisse et quotidianis proeliis cum iis contendisse, memoriæ prodidit Herodotus. Lib. IX. Cap. 49.

³⁾ Plut. Vit. Arist. Cap. 15.

Sed Aristides, qui nihil unquam sibi, cuncta patriæ ac communi saluti voluit, negavit illico fas esse, hoc Pausaniam, penes quem summum imperium esset, celare; promisit vero se ante pugnam secretum sancte servaturum, at, si vicissent Græci, fidem et benevolentiam Alexandri neminem ignoraturum.

Quid rectius aut consultius facere potuit? Quis non modestiam, honestatem et prudentiam Aristidis in hoc miretur?

Adit igitur Pausaniam, eumque quid rei sit certiorrem facit. Quo audito, ille, sive metu, sive prudentia, sive qua alia de causa postulat, ut Athenienses per tenebras in cornu dextrum traduceret Aristides, eosque Persis ipsis, hostilis exercitus flori, opponeret, melius enim dimicaturos, qui ad Marathonem cum illis pugnare essent docti, sibi sinistrum cornu traderet, adversus quod auxiliares Græci pugnaturi erant.

Hoc ceteri Atheniensium duces insolentiam interpretantes, ægerrime ferebant, quod ipsos Pausanias ἄνω καὶ κάτω, tanquam Helotas, transduceret et pugnacissimis hostium objiceret. Verum Aristides, cui seditiosa ista oratio displicebat, eos omnino errare ostendit, qui nuper cum Tegeatis de sinistro cornu certantes, palma donati exsultassent; nunc vero sponte iis dextrum cornu cedentibus, et imperium quodammodo tradentibus Lacedæmoniis, nec summo hoc ducerent decori, nec in lucro ponerent, quod non cum popularibus et consanguineis, sed cum barbaris et nativis hostibus essent pugnaturi. Sicque omnes placati animo lubenter locum cum Spartanis commutavere, lætantes, quod sibi eadem arma essent eademque corpora ac in proeliis superioribus, animi vero ex victoriis majores,

et certamen non ut illis pro agro et urbe, sed pro tropæis Marathoniis et Salaminiis, ne viderentur illa ^{illius} Mardonii esse ac Fortunæ, sed Atheniensium. Mutato autem Mardonii consilio, et Lacedæmonii et Athenienses in suum quique locum redierunt, et cetera pars diei, equitum Persarum incursionibus exceptis, sine proelio consummata est.

Quum autem Græci equitatu Persarum, (qui et supportato comœatu eos subinde intercluserat, et continuo subitoque aggrediendo fatigaverat), aqvatione prohiberentur, castra ex loco priore movere et commodiorem capere Pausanias constituit.

Nocte itaque interveniente, ceteri Plataeas versus iter facere coeperunt; sed munimentis relictis, milites vulgares, nullo ordine servato, dispersi et separati, iter tumultuarie ingressi sunt. Unus restitit Anompharetus Laco et obstinate negavit, se castra deserere velle. Quod quum animadvertisset Pausanias, et ipse restitit, et Athenienses quoque jussit itinere desistere, sperans se Anompharetum flectere posse. Sed frustra. Ubi diluxit, et observavit Mardonius, Græcos in ulteriorem locum se recepisse, falso opinatus eos incursum Persarum operiri non audere et salutem fuga quæ-rere, omnibus copiis erumpit, et phalange densa in novissimam Lacedæmoniorum aciem impetum facit. Et quum, sive ira, sive aliquo de casu Græcis universis signum dare oblitus esset Pausanias, quamvis suis ut se ad dimicandum instruerent imperavisset, ceteri nec confestim, nec conferti, quum jam in propinquo essent barbari, adcurrabant. Nondum autem suis ut hostes aggredierentur permiserat, sed iterata sacrificia instituebat, sive quod faustiora omina vere

expectabat, ut iis nunciatis militum fiduciam et robur auget, sive ut spatium intercederet, quo plures se Græci colligerent, sive ut timore simulato animum hostibus adderet, quo majore contemtionem accederent, incautius adorirentur et latius fusi omnes res negligentius administrarent; quicquid causæ et consilii fuerit, suis imperavit, ut quieti considerent, nec ullum omnino jaculum in hostes rejicerent.

Interim ipse in conspectu exercitus deos precabatur, quumque eos propitios fore et victoriam prosperaturos, sacerdotes ex hostiarum extis pronunciasent, tum demum omnes consurgere jussit et hostes circumfusos adoriri. Tum vero cognitum est, quid animus vere militaris, quid disciplina et usus belli possit. Acie facta, armis tecti, imperatoris scientia deorumque immortalium præsidio et suis æque viribus confisi, confertissimi prouunt Lacedæmonii. Acerrime diu Persæ resistunt et, cetris objectis, ut muri instar munimentum præberent, sagittas in Græcos mittunt; at illi, cetris istis impulsis et disjectis, quam plurimos hastis vulnerant atque occidunt. Persæ vero haud facilem aut incruentam victoriam adversariis dedere. Hastas enim Græcorum nudis manibus prensantes, multas confregerunt, et destrectis acinacibus acrius institere. Sed ipsa iis multitudo impedimento erat. Et quum ancipiti proelio diu pugnatum esset, et Mardonius ipse lapide icto interfectus, idem ac antea in cæde Masistii passi sunt, et pertinacia sensim desistentes, et de pugna desperantes, tela vertere coepere. Cedentes Lacedæmonii, quibus hoc successu major alacritas injecta est, nunc celeriter adeo insecuti sunt, ut multos occiderent, multos tela inter et equos prote-

rerent, nam ita se sub monte constipaverant, ut recessum primis ultimi non darent, quo ingens fugientium strages facta, et auctus adeo timor et trepidatio, ut ad pugnandum nemo omnino pedestris exercitus resisteret, nec prius fugere desisterent, quam ad munimenta sua pervenerint ¹⁾).

Dum hæc aguntur, Aristides cum suis ulterius progressus Lacedæmoniis paululum præstolatus erat. Quum vero ex tumultu et clamore longinquo intelligeret, jam ad manus ventum esse, et ex nunciis Pausaniæ audivisset, quibus angustiis Spartiatæ premerentur, nihil sibi ad celeritatem reliqui fecit, quo dimicantibus sociis suppetias iret. Sed in itinere auxiliariis Græcis occurrens, et sperans se eos hortatione cohibiturum, ne pugnam cum consanguineis inirent, ipse ante aciem procedens, clara voce eos per patriam communesque deos obsecravit, ne Græci cum Græcis manus consererent, nec sibi Lacedæmoniis subeunti obsisterent. Sed hac spe frustratus, quum omnia nequidquam tentata essent, fortissime eos quadruplo numerosiores adortus est. Nunciata autem Persarum clade, plerique se receperunt. Quo facto, Thebanos solos adhuc resistentes tanto impetu invadit, ut perturbatis ordinibus eorum, multisque et primariis quidem viris occisis, præsidium omnes in fuga ponere cogerentur. In fugam datos non longe sequitur Aristides, verum a persecutione eorum, ad Lacedæmoniis opitulandum, ut exiguitas postulabat temporis, quam citissime se convertit.

¹⁾ Herod. Lib. IX. Cap. 58, 59, 60, 61 seqv.

Diod. Bib. Hist. Lib. XI. Cap. 31.

Plut. Vit. Arist. Cap. 16, 17, 18.

Artabazus¹⁾ invidia forsā et timore quadraginta, quæ ducebat, milia Persarum a proelio abstinerat, et cetero jam exercitu ad internecionem prope reducto, fugientibus aut fugatis auxiliaribus, quæ proximum iter in Thessaliam erat, contendit. Quæ perfidia, rege absente, supremis ducibus interentis, quum nullæ amplius superessent integræ copiæ, quibus vulnerati et oppressi sublevari possent, et nullum profligatis sui ex labore reficiendi tempus daretur, et mollior omnino iis esset minimeque ad calamitates perferendas resistens animus, res ad ultimum casum perducta erat.

In tempore igitur Aristides cum suis ad ligneam Persarum munitionem pervenit. Nam fracti quidem et corpore et animo barbari erant, et spe omni victoriæ dejecti, sed defendebant se tamen adhuc intra valla, quæ Lacedæmonii, hujus belli generis imperiti, nondum expugnare potuerant. Opibus vero Atheniensium adjuti et exemplo instructi atque incitati, pugnam redintegrabant: sicque mox ultimum hoc hostium receptaculum ab iis captum est, superata moenia et propugnatores ad unum omnes cæsi³⁾, furor enim et timor periculi, quæ nuper, miraculo velut, evaserant Græci, misericordiam, ut jam notavit Cæsar, non recipit.

Hunc eventum habuit gravissimus ille dies, sed et Aristidis opera, coronis ei imposita est.

Quamnam hæc victoria habuerit vim, quantum si-

¹⁾ Diod. Sic. Bib. Hist. lib. cit. Cap. 33.

²⁾ Sic Plutarchus. Alii tria milia servata volunt.

Strabo Lib. IX. § 31. cit. Tschucke: ἐνθαῦθα Μαρδόνιον καὶ τὰς τριάκοντα μυριάδας Περσῶν αἱ τῶν Ἑλλήνων δυνάμεις ἄρδην ἠφάνισαν.

Diod. Lib. cit. Cap. 32. Πλευσανίας παρήγγειλε μηδὲνα ζῶργεῖν.

mul cum prioribus valuerit ad animos Græcorum erigendos, ad generosiores illis spiritus subdidendos, ad divina illa excitanda ingenia, quorum et literarum et artis monumenta omnis admirata est posteritas, non huius loci est commemorare. Mansissent utinam? Sequitur quum Græcia, quod suo tempore prævertit Aristides, luctuosis dissidens armis, in viscera propria sævisset, et in aliena servitute degenerasset, nemo postea existit, qui vigorem illum ætherium, qui flammam illam immortalem suscitare, nedum alere aut posset aut vellet. Quod quum non factum sit, exstingveretur necesse est.

Sed hæc velut in transitu.

Vera de Aristide Plutarchum tulisse, quamvis non nominatim ille a Thucydide et Herodoto inducatur, dubitare non sinit nec allatum supra doctissimi Heerenii iudicium, nec habita Aristidi tam domi quam foris et gratia et fiducia et gloria maxima. Nam modestia eius et temperantia et honestate factum est: ut unus post hominum memoriam cognomine „justus“ sit ornatus¹⁾; ut res difficillimæ eius unius arbitrio ad iudicandum delatæ sint²⁾; ut quum aliquando in theatro Atheniensi recitarentur facti ab Æschylo in Amphiarum Iambi:

*Οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλευμάτα.*

cuncti in Aristidem converterent oculos, tanquam ad ipsum hæc virtus præcique pertineret³⁾; ut post proe-

¹⁾ Nepos. Vit. Arist. Cap. 1. Plut. Vit. Arist. Cap. 6. Diodor. lib. cit. XI. Cap. 47.

²⁾ Cicero de offic. III. Cap. 2.

³⁾ Plut. Vit. Arist. Cap. 2.

lium Marathonium, quum ceteri novem duces cum tribus suis festinanter Athenas properarent, veriti ne nudam defensoribus urbem classis Persarum invaderet, Aristides potissimum electus est, cuius fidei et captivorum et prædæ infinitæ custodiam demandarent¹⁾; ut quum antea mari terraque universæ Græciæ duces fuissent Lacedæmonii, postea omnes fere civitates Athenienses duces adversus barbaros deligerent²⁾; ut ad classes ædificandas et exercitus adversus communem hostem comparandos, quantum pecuniæ quæque civitas daret, is destinatus sit qui constitueret³⁾; ut denique, quod habet Nepos, filia eius publice alerentur et de communi ærario dotibus datis collocarentur et, quod addit Plutarchus, filio eius minas argenti centum, totidemque jugera agri, arboribus consiti, populus Atheniensis donaret.

Quis igitur, omnibus bene excussis et perspectis, non facile sibi persvadeat, ad celeberrimas illas ad Marathonem, Salamina Plataeasque victorias, nec minus ad auctam postea munitamque Athenarum potentiam, plurimum Aristidem contulisse? Cujus nisi modestia, æquitas, honestas et summa constantia fuisset, frustra, mihi videtur, frustra animus, scientia ac strenuitas Miltiadis, Themistoclis, Pausaniæ, frustra invicta Græcorum fortitudo, frustra opportunitates locorum, præstantia armaturæ, disciplina et peritia belli, frustra

¹⁾ Plut. Vit. Arist. Cap. 5.

²⁾ Nepos. Vit. Arist. Cap. 2. Thucyd. de bello Pelop. I. gs. 96. seq. Diodor. lib. cit. Cap. 44, 46, 47. Ἡ Ἀριστείδου κατὰ πᾶν ἀρετὴ τὰς Ἀθήνας τὴν οὐκ ἴουσαν στρατηγίαν ἐποίησε κτήσασθαι.

³⁾ Nepos. Vit. Arist. Cap. 3. Diodor. XI. Cap. 47.

Wöck Staatsverwaltung der Athener, Berlin 1817. 1 Th. pag. 127.

